Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35515
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

24.

plices reiterari possunt propter infirmi devocionem sed usum habent romanis
hor tamen de salute necessitate non oportet, sed propter infirmi comoditatem
atque devocionem laborantis in extremis fieri potest. ¶ Circa autem in
firmos seculares dicantur oraciones iste prout devocio et disposicio et
comoditas ipsorum assistencium id requirunt et tempus sinit. Sed sunt heu
paucissimi non solum apud seculares verum eciam in plerisque religiosis
qui huius scientie habent artem, et in mortis articulo suis proximis fide
liter non assistunt interrogando et admonendo informando ac
etiam pro eis orando ut prefertur et permittunt sic animas periclitari
preter amorem. Sequuntur oraciones circa agonizantem dicende.
O qui te dignissimum et innocentissimum patrie caritatis fi
lium pro nobis factum hominem fecisti vulnerari ac mori pro sa
lute hominis indulge famulo tuo N. misericordissime Jhesu omne quod
cogitatu verbo vel facto affectionibus vel motibus viribus et sensibus
anime et corporis deliquit. Et in veram remissionem tribue illi suffici
entissimam emendacionem qui totius mundi culpas soluisti. Et in ple
nam suppletionem omnium negligenciarum suarum da illi sanctissimam conversa
cionem illam quam ab hora concepcionis tue usque in hora mortis
habuisti. Insuper et fructum omnium bonorum operum que ab inicio mundi
usque in finem ab omnibus electis tibi placuerunt vel potuerunt placere.
In nomine ferventissimi amoris qui Item alia Oracio
te vita omnium viventium coegit incarnari et anxiato spiritu in
cruce mori, pulsamus ad medullam benignissimi cordis tui ut
N. fratri nostri omnia peccata dimittas, et tua sanctissima conversacione
ac perdignissimo passionis tue merito omnia sua suppleas, facias
que eum experiri superhabundantissima multitudine miseracionum tua
rum. Nos quoque omnes et specialiter illam personam scilicet fratrem nostrum que presentem(?)
vocare disposuis(?) preparares placidissimo tibi modo sibique et omnibus nobis
utilissimo, cum dulci paciencia, vera penitencia, plena remissione, fide recta,
spe firma, et caritate perfecta, et in perfectissimo statu intret dulcissimum
amplexum et suavissimum osculum tuum velociter experiet ad tuam
eternam laudem. Sequitur iterum alia oracio ad patrem
In manus inextinguibilis tue amoris(?) pater sancte pater iuste et amantissime
commendamus spiritum famuli tui N. fratris nostri secundum magnitudinem
amoris quo se anima filii tui sanctissima in cruce tibi commendavit,
supplicatur deprecantes quatenus per illam inestimabilem dilectionem et ca
ritatem qua tua divina paternitas in se totum traxit illam sanctis
simam animam, ut in ultima hora famuli tui N. fratris nostri susci
piat in eodem amore spiritum eius. Oracio ad sanctum Michaelem.
Sancte Michael archangele domini nostri Jhesu Christi succurre nobis apud
altissimum iudicem. O pugil invictissime adesto nunc famulo
tuo N. fratri nostro in extremis valide laboranti et defende eum potenter